

CAP. V. AMBROSIUM CONSULIT, QUID LEGENDUM.

Renunciavi, peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium providerent, quod et tibi ego servire delegissem, et illi professioni pree difficultate spirandi, ac dolore pectoris non sufficerem. Et insinuavi per literas antistiti tuo, viro sancto Ambrosio pristines errores meos, et praesens votum meum, ut moneret, quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendae tantae gratiae paratior, aptiorque fierem. At ille jussit Esiam prophetam, credo, quod pree caeteris Evangelij, vocationisque gentium sit praenunciator apertior. Veruntamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum exercitacione in Dominico eloquio.

CAP. VI. MEDOLANI BAPTIZANTUR.

Inde, ubi tempus advenit, quo me nomen dare oportet, relicto rure, Mediolantem remeavimus. Placuit et Alipio renasci in te mecum, jam induito humilitate, sacramentis tuis congrua et fortissimo domitore corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu. Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, et ingenio praeveniebat multos graves, et doctos viros. Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, creator omnium, et multum potens reformare nostra deformia; nam ego in illo puero praeter delictum nihil habebam. Quod enim enutriebatur a nobis in disciplina tua, tu inspiraveras nobis, nullus aliis. Munera tua tibi confiteor. Est liber noster, qui inscribitur de magistro: ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia, quae inseruntur ibi ex persona collocutoris mei. Cum esset in annis sedecim, multa ejus alia mirabilia expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium, et quis praeter te talium